(2)-2

ne spe: ut predam in antecessum diviserint. Cherusci equos. Suevi aurum
et argentum Sicambri captivos elegerunt. Sed omnia retrorsum. Victor nam-
que Drusus. equos pecora torques eorum ipsosque predam divisit et vendidit.
Preterea in tutelam provinciarum presidia atque custodias ubique disposuit.
per Mosam flumen per Albim per Visurgim. Per Rhenum quidem ripam quin-
quaginta amplius castella direxit. Bonnam et Gesoriacum. cum pontibus iunxit
classibusque firmavit. Invisum atque inaccessum Hercinium saltum patefecit.
Ea denique pax in Germania erat: ut mutati homines. terra alia. celum ipsum
mitius. molliusque solito videretur. Denique non per adulationem ex meritis
defuncto ibi fortissimo iuvene ipsi quod numquam alias senatus cognomen
ex provincia dedit. Sed difficilius est provincias optinere quam facere.
Viribus parantur iure retinentur. Igitur breve id gaudium. Quippe Ger-
mani victi magis quam domiti erant: moresque nostros magis quam ar-
ma sub imperatore Druso suscepereunt. Postquam ille defunctus est. Va-
ri Quintili libidinem atque superbiam aut secus quam sevitiam odisse cepe-
runt. Ausus ille agere conventum et in castris se direxerunt quasi vio-
lentiam barbarorum lictoris virgis et preconis voce posset inhibere. At il-
li iam pridem rubigine oblitos enses inertesque mererente quos ut pri-
mum togas et severiora armis iura viderunt. duce Armenio arma corri-
piunt. Cum interim tanta erat Varo pacis fiducia. ut ne predicta quidem
et prodita per Segestem unum principum coniuratione moveretur. Ita-
que improvidum et nichil tale metuentem improviso adorti cum ille
o securitas ad tribunal citaret undique invadunt. Castra rapiunt.
tres legiones opprimuntur. Varus perditas res eodem quo Cannensem
diem Paulus et fato est et animo secutus. Nichil illa cede per palu-
des perque silvas cruentius. nichil insultatione barbarorum intolle-
rabilius. Precipue tamen in causarum patronos aliis oculos. aliis
manus. amputabant. Unius os sutum. recisa prius lingua. Quam
in manu tenens barbarus. tandem inquit. vipera sibilare desiste.
Ipsius quoque consulis corpus quod militum pietas humi abdiderat
effossum. Signa et aquilas duas adhuc barbari possident. Tertiam
signifer priusquam in manus hostium veniret evulsit mersamque